

mus retorqueri? Dies et nox, nox et dies, hiems et æstas, æstas et hiems et amplius nihil, et hæc quidem semper eadem, mala vero peregrina et recentiora. Hæc igitur ipsum sustinere per singulos dies et hic manere volebat, et ægrotare, flere formidare et contremiscere, et has quidem pati molestias, has vero ne patiatur timere? » Hinc notat Valer. Maximus, l. II. c. VI. Thraces laudem sapientiæ sibi vindicasse, qui natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrabant sine ullis doctorum præceptis. Subditque: « Removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitæ quæ multa et facere et pati turpiter cogit si ea mortua aliquanto ejus felicior ac beator reperietur finis. »

III. Suadet fati divini immutabilitas. Quod enim Deo ordinante factum est, infectum fieri nequit, adeoque ratum haberi debet, quidquid Deus decrevit. Qua de re S. Chrysostomus, hom. LXIX. ad pop. ita scribit: « Et Græcorum quidem pueri, qui de resurrectione nihil noverant, consolationis tamen invenient verba dicentes? Fer generose, nam facta non licet infecta reddere aut luctibus emendare. An tu his altiora dicens et utiliora, non confunderis majorem illis præferens deturbationem? Nec enim nos discimus, fer generose, num factum non licet infectum reddere, sed fer generose omnino; namque resurgent, dormit infans et non est mortuus, quiescit, non autem periit, nam eum resurrectio suscipiet et vita perennis et immortalis angelicusque consensus. Non psalmistam audis dicentem: Convertere anima mea in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi. Rem istam Deus beneficium nuncupat, et tu luges? Quid fecisset amplius, si defuncti hostis et inimicus fuisses? » Hæc cogitatione deposuit David luctum super defuncto filio suo infante. Ubi enim intellexit mortuum esse, surrexit de terra et lavit se posuitque flectum, ac jejunium dicens: « Nunc quia mortuus est, quare jejunem? Numquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eum: ille vero non revertetur ad me. » II. Reg. XII.

IV. Suadet honestas et civilitas, quia incompositus ille luctus mollem nimis arguit animum et de ridiculo exponit, ipsique lugenti sæpe graviter nocuit. Qua de re audiamus unum alterumve s. patrem, S. Ambros. orat. II. de morte fratris ita scribit: « Lyciorum feruntur esse præcepta, quæ viros jubeant muliebrem vestem induere, si mœreri indulgeant, eo quod mollem et effeminatum judicaverint in viro luctum; deforme est enim eos, qui pro fide, pro religione, pro patria, pro æquitate judicii, atque intentione virtutis obvium debent morti pectus offerre, mœ-

rere in alio gravius quod in se, si causa exegerit sit expetendum. » Quod si hoc gentiles velut ignominiosum apprehenderunt, quid dicerent si hanc ipsam deformitatem viderent in Christianis? De illis enim ita scribit S. Chrysost. homil. LXIX. cit. « Quo modo proximum de immortalitate alloquemur, quo modo gentili persuadebimus, cum plus quam illi formidemus mortem et exhorrescamus? Multi quidem apud gentiles, licet de resurrectione scientes, nihil sibi defunctis filiis coronati sunt et apparuere candidati, ut præsentem tantum gloriam consequerentur: tu vero neque propter futuram agere, muliebriter plangere desistis. » Consentit huic S. Hieron. in epist. ad Tyrasium. « Quod ad decus nostrum pertinet, inquit, gentiles dolores sæpe contemnunt, cum non ad promissa cælestia, sed ad pœnas tartari rapiuntur, et nos plangimus euntes ad cœlum? Considera, Christianus talis quid merebitur deinceps, qui nec imitari contendit exempla sanctorum, nec contemptum habere gentilium. Illi luctus desperando despiciunt, nos et sperando despiciere non conamur. Aliquem filiorum Christiani nolunt vel gratulatione sua deducere ad bona. Gentiles tradere non tractantur ad mala. » Accedit quod hic luctus sæpe nocet lugentibus corpore et animo, teste S. Basilio, hom. IV. « Ipsi novimus, inquit, non paucos calamitatibus deploratis utique nec curabilibus obvallatos, vini distillant lacrymis sibi temperasse. Hi quidem in varios et immedicabiles affectus inciderunt, seu sunt apoplexia et paralysis: alii vero in mortem prorsus collapsi sunt ac si fulcimento quoniam debili niterentur diffractis eorum viribus immodico tristitiæ pondere. Quod cernere possis in flamma, quæ inclusione sumi proprii suffocatur; nam cum libere egredi nequeat flamma suo ambitu opprimit, haud secus isti contingere aiunt in ea facultate, quæ in animali vitalem actionem moderatur, nimirum eam vehementiori doloris acrimonia extingui, nulla illi ad exteriora perspicatione concessa. » Et tu cur se ita affligat homo ut vulnere remedium tanta molestia quærat, quod successu non longi temporis per se obducat et sanabitur? *Et quod tempore mitigandum est, cur ratione non vincitur?* inquit S. Hier. ep. cit. ad Paulam. Similiter D. Chrys. hom. LXIX. cit. « Præter hæc inquit, et illud cogita, quod licet nos non audias omnino tempore tibi persuadebitur sed nulla tibi nunc merces. Ex dierum namque multitudine consolatio conflatur. Si vero nunc philosophari velis, duo maxima lucraberis, nam et te malis in medio positus absolves, et a Deo præclaram accipies coronam, ærumnam æquanimitèr tolerans. »

CONCIO XVII.

PARTICULARIA SOLATIA PLANGENTIUM SUOS DEFUNCTOS.

THEMA.

Noli flere. Luc. VII

V. Denique suadet ut vel maxime fides resurrectionis quæ vel sola, et quidem potentissime omnem sopire mœrorem planeque extinguere deberet, præsertim si accedat voluntas, quæ defunctum nostrum ex hujus vitæ carcere eripere, et in cœlestem aulam transfere voluit. Qua de re S. Hier. in ep. ad Tyrasium ita scribit: « Resurgere credimus mortuos et plangimus? quid faceremus si tantummodo sine resurrectione præciperet Deus? Quod dederat, abstulit, qui creaverat. Quis est, qui plangat, quod ad tempus acceperat? Commendaverat, ut haberes quantocumque tempore voluisset, ut cum vellet rursus auferret. Nihil abstulit tuum, qui dignatus est recipere proprium. » Hoc argumento se solatus est S. Ambros. de morte fratris, in orat. I. ejus funebri. « Lætandum est magis, inquit, quod talem fratrem habuerim quam dolendum, quod fratrem amiserim; illud enim munus, hoc debitum est, itaque perfunctus sum quamdiu licuit commisso mihi fœnore. Qui deposuit pignus recepit: nihil interest, utrum abjures depositum, an doleas restitutum; in utroque enim fidei ambiguum vitæ periculum est. An si pecuniam neges, culpa est: si hostiam neges, impietas non est, etc. » Accedit S. Chrysost. hom. XLI. in l. ad Cor. « Si in morte mariti aut filii, inquit, cogitaveris, quis ille sit, qui abstulit et fortiter id tuleris, voluntate ista sacrificium exhibe Deo, et evadere procellam istam facile potes. » S. Aug. I. de vera relig. c. XLIII. « Qui perfecte Deum diligit, inquit, non affligitur morte cujusquam; quoniam novit nec sibi perire, quod Deo non perit. Deus autem Dominus est vivorum et mortuorum. » S. Cyprianus, ser. IV. de mortalitate: « Nobis ipsis minimis et externis quoties revelatum est quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione præceptum est, ut contestare assidue, et publice prædicarem fratres nostros nos esse lugendos accensione Dominica de sæculo liberatos, cum sciam non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes et navigantes desiderari eos debere, non plangi; nec accipiendas hic esse atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint. » Quando igitur tot tantisque argumentis admonemur, ne modum excedamus in funeribus nostrorum quorumcumque amicorum, etiam carissimorum et conjunctissimorum, superest ut hortemur eos, qui funus hoc procurant, ne pusillo nimis animo mortuum suum plangant, indeque et sibi noceant, et aliis malo exemplo sint, et defunctum onerent, et Deo contradicant, et sibi ac nomini christiano maculam aspergant sed viros potius se ostendant.

Nulla hujus vitæ tristitia major esse censetur ea quam mors adfert: si quidam hæc hominem omnibus omnino bonis spoliat, et insuper viventes mortuo propinquos quodammodo simul occidit. *Unde omnium terribilium terribilissimum*, a philosopho dictum est. Interim tamen ut videmus, nihil magis commune, minusque evitabile est. *Quis est homo, qui vivit et non videbit mortem?* ps. LXXVIII. Proinde nulla est calamitas, cui magis necessaria sit consolatio. Quamobrem scribit S. Hieronymus, epist. III. ad Heliod. subtilissima philosophorum ingenia adhuc imprimis insudarunt ut conquisitis undique rationibus libros conscriberent, quibus solarentur partim morituros, partim mortuorum propinquorum et amicos. Quin etiam ss. patres in hoc ipso argumento quam plurimum laborarunt, ut variis undique adductis mediis et motivis consopirent seu timorem mortis seu luctum super mortuis; uti imprimis S. Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, Bernardus aliique. Cæterum quia lenimenta illa, quæ vel philosophi vel patres afferunt, communia sunt, et unusquisque sibi persuadet, se peculiarem quamdam longeque urgentiorem plangendi causam habere quam habeant alii, idcirco in particulari lamenta eorum audire et delinire ac fere ex ss. patribus dumtaxat conabimur.

I. Dicit quispiam: Me miserum, quia jam carere cogor amantissimi mei præsentia et conversatione dulcissima. Huic occurrit Romanus ille sapiens, Seneca, in consol. ad Marciam, c. XIX. « Movet lugentem, inquit, desiderium ejus quem dilexit? Id per se tolerabile apparet. Absentes enim abfuturosque dum viverent, non flemus quamvis omnia usus illorum nobis et conspectus eruptus sit. Opinio est ergo quæ nos cruciat: et tanti quoque malum est, quanti illud taxavimus. In nostra potestate remedium habemus. Judicemus illis obesse et nosmetipsi fallamus. » Confirmat hoc ipsum similitudine Divus Chrysostomus exponens verba apostoli, I. Thessal. IV. *Nolo vos ignorare, etc.* » At consuetudinem, inquit, defuncti desideras, et propterea lamentaris. Seu hoc vehementer absurdum est. Si enim sponso alicui filiam in matrimonium copulaveris, deinde ille eam abducens in longinquam discesserit regionem, atque ibi in omnium

rerum abundantia vivat, nequaquam hoc moleste feret, sed dolorem quem ex absentia ejus diuturnitate capis, prosperitatis illius communi fama mitigas. Nunc autem non homine, non servo aliquo accipiente, sed Domino requirente, quem debet, moeres a lacrymaris. » Huic accedit S. Ambrosius, orat de fide resurrect. sic scribens : « Cur tu putes patientiorem illum esse debere, qui dilectum ad peregrina dimiserit et militia grata vel susceptae administrationis officio, vel negotiandi usu transfretasse comperit; quam te, qui non fortuito arbitrio delinqueris aut studio pecuniae, sed lege naturae? Sed recuperandi tibi interclusa spes. Quasi cuiquam certa sit reuendi. Et plerumque dubia plus fatigant ubi periculi metus integer, graviusque est timere, ne acciderit, quam tolerare, quod jam noveris accidisse. Aliud enim summa formidinis coacerbat, aliud finem expectat doloris. An dominis jus est, quo decreverint transferre mancipia, Deo non est? Sed non suppetit expectare remeantem, suppedit tamen praecedentem sequi. Et certe brevis vitae usus nec illi multum videtur eripuisse, qui ante praecessit: nec te differre diutius qui remanserit. » Sic ille.

II. Dicit forte uxor aut mater. Auxilio destituta sum et solatio, Huic respondet S. Chrys. hom. VI. in ep. ad Thess. « Dicis, propterea quaero virum, propterea filium, propterea plango et lamentor, non quod resurrectioni diffidam, sed quod auxilio destituta sim, et tutorem amiserim, conjugem omnium consortem et consolatorem. Multa rerum turba ingruit, quibus vis iuriam inferre volentibus exponer: domestici, qui ante metuebant nunc contemnunt, nunc insultant, etc. Ista me viduitatem hanc ferre nunc permittunt, nec leviter lugere. Quomodo ergo tales solabimur? Quid dicemus? Primum eas convincere tentabo, lamentationem non esse ex his, quae dicta sunt sed ex animi affectione inconsiderata. Si ergo ista luges, oportebit, ut perpetuo lugeas mortuum tuum: si anno elapso oblivisceris illius, non secus, ac si nil hujus accidisset, non luges amissam tutelam. Quamobrem luges filium? Quamobrem maritum? Hunc quidem quod nullum ex eo fructum cepi: istum vero, quod speraveram me illo diutius fruituram. At hoc ipsum quantae est incredulitatis? Nempe quod putas te vel maritum vel filium in rerum securitatem collocaturam esse: Deum vero minime. Quomodo non putas illum irritari? Nam ob id ipsum plerumque eos aufert, ne ad eum modum illis alligata sis, ut spem tuam ab illis auferas. »

III. Sed virum non habeo. Respondet idem

Chrys. ho. LXIX. ad pop. « Habes consolatorem, patrem orphanorum et iudicem viduarum. Noli ergo lugere unde coronaris, unde recipies mercedem: depositum enim reddideris, si quod tibi creditum est, exhibueris. Sed hoc doles, quod sola sis, careasque rectore; » objicit idem Chrys. ho. XLI. in I. ad Cor. et respondet: « Hoc non est, cur non dicas: Amittere rectorem Deum non potes. Quantisper hunc habes, conjuge, patre, filio, affine quovis praestabit, ut qui superstitionibus etiam his faciebat omnia. At ego, dicit aliqua, sola separatione dormientis aestuans, desolata solatio pii pignoris jactor. Excusatio haec est sine dubio fragilitatis humanae, quae patrocinari non potest diffidentiae. Si enim desolationes hominum ferre non valent nunquam prorsus parentes a se sua pignora dimisissent. Destitutos se a morientibus conqueruntur, et vivos filios propter honores, aut propter negotia peregrinis regionibus credunt, et gaudent tota vita sine affectibus commorari, dummodo capiant, quod cupiunt de suis pignoribus adipisci, et ut ad palatia pergant, peregrinantur, etc. » Et mox: « Sed destitutam dicis, senectutem meam, quae debueram liberos antecedere nec in laboribus remanere. Ego tibi melius profiteor evenisse, qui non carnalem sed spiritualementem circa te considero felicitatem. Senectuti tuae amputavit Deus magis sollicitudinem, quae torquebat de viva filia ne periret. Non te deseruit, sed praecessit. »

IV. Dicit alia: Haeredes, bonorumque successorem non habeo. Cui respondet Chrys. ho. LXIX. ad pop. « Et quid malebas eum, tuorum a caelestium bonorum haerem fieri? Quid vero cupis eum pereuntia suscipere quae paulo esset dimissurus, an permanentia et immobilia? Non haerem eum habuisti, sed ipsum pro te Deus habuit. Proprium non fuit fratrum cohaeres, sed Christi constitutus est. At inquit: Cui vestimenta, cui domicilia, cui servos et agros relinquemus? Ipsi rursus et tutius quam si vixisset, prohibet enim nihil. Num si cum defuncti res barbari comburunt, multo magis te cum defunctis propria mittere conveniens est, non ut fiant illi similia, sed ut hunc majori gloria circumdes. Sed ipsum cernere desideras? Eandem cum eo vitam vive, et sacram oculis illam accipiat praesentiam. » Huc usque Chrysos.

V. Oggeret alia: Nunquam te amplius videbo. Huic respondet Chrys. ho. LXI. in Joan. « Non ita gentiles effeminantur: multi apud eos philosophati sunt. Et cum audisset mater filium in praelio cecidisse mox rogavit, quomodo se respublica haberet. Et alius philosophus coronatus, cum audisset pro patria cecidisse, coronam de-

posuit, inde sciscitatus; quomodo cecidisset, ut fortiter accubuisse cognovit, in caput statim coronam reposuit. Spartanæ autem mulieres hortantur filios, ut clypeum e praelio referant, aut super eo occumbant. Ideo pudet me gentiles haec sapere, nos imprudentes esse. Qui de resurrectione nil intelligunt, intelligentium opera faciunt: qui intelligunt, ignorantium. »

Sed dicit: Non amplius domum revertetur. Resp. ad hoc hom. LXIX. ad pop. ita: « Ne consideres illud, quod amplius domum revertetur, sed quod paulo post ad ipsum et ipse ad eum reverteris. Noli hoc cogitare, quod ille non ulterius huc regreditur, sed quod nec ista, quae cernuntur permanent talia, verum et ipsa transformantur. Etenim et caelum et terra et mare et omnia simul transmutantur: tunc cum majori gloria filium tuum recipies. »

VI. Sed filium amisi, dicit alia. Resp. idem s. pater, hom. XLI. in I. ad Cor. « Non amisisti ne dicas: somnus ea res est, non mors transitus, non interitus peregrinatio ab humiliori loco ad altissimum suscepta. Cave irrites Deum sed propitium tibi redde. » Et mox: « Cogita quot sint, qui aequius suam sortem ferunt, qui nunquam liberos susceperunt. Neque ego sane voluissem, inquis. Quanto enim praestat omnino non gustasse, quam ubi gustare coeperis, voluptate protinus carere? Ne, obsecro, voces istas usurpes, ne irrites etiam Dominum, sed pro his, quae habes gratias age: pro his quae non habes, perpetuo Dominum glorificato. Cogita, quod sint parentes, quibus liberi sui vitam acerbam et injucundam reddiderunt. Quid ergo? Generos non vides, inquis? Vide sane. Verum etiam his rectius filius tuus habet. Sint enim in pretio licet, atque incertus finis est. Qua de re jam nil es anxius, nil tremis, ne quid accidat, ne quater mutatio fiat. » Idem hom. I. in II. ad Cor. « Si consideres, inquit, quod is, qui mortuus est, in melius contubernium demigravit et ad meliorem requiem transillierit, nec enim amiseris filium, sed in locum tutum ac securiorem reposueris. Non perdidisti patris vocabulum, sed accessit, ut jam felicius dicere pater. Nec enim mortalis filii post hac diceris pater, sed immortalis strenui militis, assidue tamen domi manentis. » Sed amavimus eum, dices? Respondet S. Ambrosius, oration. de fide resurrect. « Nonne haec nobis cum ipso mundo elementisque communia sunt qui ad tempus credita, in perpetuum tenere non possumus? Gemit terra sub aratris, imbribus caeditur, tempestate concutitur, stringitur frigore, sole torretur, ut fructus annuos foeta parturiat, et cum se vario flore vestierit,

proprio exiit et spoliatur ornatu. Quantos haec raptos habet, nec fructum suum queritur amissum, quem ideo generavit, ut amitteret: nec in posterum negat, quem sibi meminisse aufert. Caelum ipsum non semper stellarum micantium globis fulget, quibus quasi quibusdam insignitur coronis, etc. »

VII. Sed juvenis fuit, inquit, et florentissimae aetatis. Ad hoc respondet S. Ambrosius. praedictus in or. fun. Valentiniani imper. « Istud tamen dolendum, inquit, quod primava obierit aetate; gratulandum autem quod virtutum stipendiis veteranus discessit. Dolendum quod nobis cito raptus sit, consolandum quod ad meliora transierit. Denique David moriturum filium flevit ne sibi eriperetur, sed flere desinit ereptum, quem sciebat esse cum Christo. » Et rursus, lib. II. epist. ep. VIII. « Doles, quod dudum florentissima (Germana) repente occiderit. Verum hoc nobis commune est non solum cum hominibus, sed etiam cum civitatibus, terrisque ipsis. » Ac ubi recenset multas dirutas civitates subdit: « Tot igitur semirutarum urbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu funera, non te admonent, unius sanctae licet et admirabilis feminae decessionem consolabiliorem habendam, praesertim cum illa, in perpetuum prostrata ac diruta sint; haec autem ad tempus quidem erepta nobis, meliorem illic vitam exigat. »

Huic accedit, quod Cyprian. I. de mortal. scribit: « Per Salomonem docet Spiritus s. qui Dei placeant, maturius hinc eximi, et citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. » Imo S. Chrys. ho. LXIX. ad pop. dicere non dubitavit: « Et si peccator quidem abiit, mala repressa sunt (ne scilicet plus peccet:) nec si poenitentiam acturum Deus novisset, ante poenitentia rapuisset. Si vero justus vitam finivit, in tuto bona consecutus est. »

VIII. Sed juvenis virtuosus fuit. Respondet S. Hieron. ep. ad Helioid. « Non doleas quod talem amiseris, sed gaudeas, quod talem habueris. Desiderandus est tibi quasi absens, non quasi mortuus, ut illum expectans, non amisisse videaris. » Et Sanctus Chrysost. hom. XXI. in Acta: « Hic oro, si sedentibus nobis mittat rex quemdam vocans in regia, plorandumne erit? Angeli e caelo veniunt, illinc missi ab ipso rege, ut conservum suum vocent, et tu ploras? Domo sua relicta pergit anima ad suum festinans maritum ac Dominum, tu autem luges? Itaque et nato puero hoc facere oportebat. Etenim hic partus illo melior. » Denique ne dicas: Filius meus non adest, adeoque perit. « Neque enim est, ait S.

Chrysost. hom. 1. in II. ad Corinth. quod eum idcirco tibi periisse putes, quia non adest. Etenim si peregre profectus fuisset, non propterea una cum corpore propinquitatis quoque nomen abscessisset. Quocirca ne jacentis vultum attende (sic enim ægritudinem exsuscitas) verum da operam, ut mentem ab eo, qui jacet, ad cælum subducas. Non enim cadaver hoc, quod humi jacet filius tuus est; sed ille, qui avolvit atque in immensam altitudinem ascendit. Cum itaque depressos oculos atque contractum os et corpus motu carens videris, cave hoc tibi in mentem veniat, quod os istud jam non loquitur, oculi isti non jam cernunt, pedes isti jam non ambulant, sed omnia in corruptionem abierunt. Cave, inquam, ista commemores, verum his contraria nempe. Os istud melius loquetur, oculi isti meliora cernent, et pedes in nubibus sublimes tollentur, ac denique corpus istud, quod nunc corrumpitur, immortalitatem induet, illustrioremque filium meum recipiam. Quod si mœrorem tibi ea, quæ cernis, afferunt, interim tecum ipse hæc loquere. Vestimentum hoc est, id exuit, ut ipsum præclarius recipiat. Domus hæc est: ea eversa est, ut luculentior fiat. Quemadmodum enim nos, cum domum reversuri sumus, eos, qui intus habitant, ne quid pulveris contrahant ac tumultu offendantur foras amandamus ac paulisper secedere jubemus, posteaquam autem domum tutam reddidimus tum denique ipsos libere introire sinimus: eodem modo Deus quoque facit. Everso enim putri ipsius tabernaculo, interim eum in paternam domum atque ad se introducit, ut posteaquam illud diruerit, atque instaurarit, tum demum splendidius id ei reddat. Quocirca ne dixeris, periit, nec jam est (eorum enim, qui fide carent, hæc verba sunt) verum hoc potius: Dormit ac resurget: peregre abiit atque cum rege venturus est. Quis hoc sermone utitur? Is nempe, qui Christum in se loquentem habet. Si enim credimus, inquit, quod Jesus crucifixus est et resurrexit ac vivit: ita etiam Deus eos, qui obdormierunt, per Jesum adducet cum eo. Quare si filium quæris, illic eum quære, ubi rex est, ubi angelorum exercitus, non in sepulcro, non in terra, ne alioqui eo usque adeo in altum erecto, ipse humi provolutus maneat. Si ad hunc modum philosophemur omnem ejusmodi dolorem nullo negotio propellemus. Deus autem misericordiarum et totius consolationis, omnium nostrum corda consoletur, et eorum, qui in ejusmodi doloribus versantur, et eorum, qui alio mœroris genere tenentur, donetque ut ab humana mœstitia liberemur ac spirituale gaudium percipiamus, futuraque bona

consequamur. Quæ utinam nobis consequi contingat per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto sit gloria in sæcula sæculorum. Amen. » Huc usque Sanctus Chrysostomus.

CONCIO XVIII.

JUVANDOS ESSE POTIUS DEFUNCTOS QUAM DEFLENDOS.

Asserunt medicæ artis periti venam quamdam medio in corde reperiri quæ ad brachia extenditur. Ex illis Joan. Valverius, quod I. VI. tab. V, sinistrum ramum grandis arteriæ e corde ad sinistrum brachium produci asseverat. Et quid per hoc natura docet? Utique amorem, qui in corde sedem suam habet, non præcise in illo sistere, sed virtutem suam exercere et ad brachia, hoc est, ad opera usque se extendere debere. Quare Cant. VIII. celestis sponsus mandavit sponsæ suæ: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Quod exponens S. Gregorius ait: « In corde sunt cogitationes, et in brachio sunt operationes. Super cor ergo et super brachium sponsæ dilectus ut signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantum ab ea diligatur, et voluntate et actione designatur. Videtur mihi hoc idem defunctus quisque Christianus in aurem loqui dilecti sui propinqui (quicumque ille sit): *Pone me super cor tuum, et super brachium tuum.* Ama me in corde, et ama me in opere. Et quidem plerique omnes, dum defunctum suum multis cum lacrymis deducunt ad sepulcrum, satis per hoc ostendunt quod ex corde eum dilexerint. Verum scire debent, velle defunctum amicum opere etiam diligere, ita nimirum, ut si in altero sæculo incurrisset pœnas aliquas, quod valde timendum, ad tempus aliquot luendas, extenso brachio suo inde eum eripiant. Atque hoc est, quod ss. patres multo fortius inculcant, et ab eis requirunt, quam fletum aut externum luctum, qui in funebri pompa consistit. Audiamus S. Augustinum, serm. XIV. de verbis apost. « Impleant homines, inquit, erga suos officia postremi funeris, et sui humani lenimenta mœroris. Verum illa, quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantius, constantius, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant. » Similiter S. Chrysostomus, hom. LXI. in

Joan. « Honor mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima. Vis mortuum honorare? Fac eleemosynam. Quæ tibi ex multis fletibus utilitas: et homil. XLI. in. 1. ad Cor. *Juvetur mortuus non lacrymis sed precibus; supplicationibus, eleemosynis, etc.* Quare videant, quicumque mortuos suos sepeliunt ut amorem suum erga illos ad brachia etiam extendant: succurrendo eis per opera pietatis, quod suadebant ei, quæ dicturi sumus.

I. Suadet extrema eorum calamitas et indigentia in qua versantur, dum seipos jam juvare nequeunt, alienum tantum auxilium expectant. Nemo non libentius ac promptius succurrit illis pauperibus, qui victum sibi parare nullo modo possunt, quam aliis, qui adhibita industria, sibi ipsis alendi sunt. Certe messorum illi, quibus prandium pararat Habacuc, merito id expectabant, qui fessi a laboribus erant. Et tamen angelus Domini jussit id deferri non messoribus, sed Danieli in lacu leonum posito, quia nimirum Daniel magis eo indiguit, constitutus eo loco, ubi nihil prorsus parare sibi poterat: messoribus vero facile erat acquirere prandium aliud e vicina heri domo, Dan. XIV. Defuncti in purgatorio sunt quasi in lacu inclusi unde egredi in concessum. Sunt quasi in captivitate Turcica, e qua nisi magno lytro redimere se nequeunt, et in paucis valde datur, ut dimissi cum catenis suis conquirant eleemosynam, qua se exsolvant. Quotus enim quisque defunctorum apparere viventibus, ut pro se preces expetant? Certarunt aliquando inter se duo fratres ordinis S. Dominici Bertrandus et Benedictus an pro vivis potius orationes ad Deum frequentandæ essent, quam pro defunctis. Ille enim pro his raro pro illis fere solum sacrificia offerebat sua, eo quod defuncti jam certi de sua salute essent, vivi autem adhuc periclitarentur. Verum Benedictus opposuit: « Cuinam mendico opitulari mallet, eum qui sanus et integer membris corporis est, an ei qui destitutus? Nonne debili potius quam sano? Utique respondet alter. Atqui debiles sunt defuncti, qui sibi ipsi opem fere nequeunt: quod tamen viventes valent. » Quid actum? Cum Bertrandus nondum cederet, nocte quadam a defunctorum uno vexatus et fasce lignorum dire pressus est: a quo tempore didicit sæpius pro defunctis litare. In vita Sancti Dominici, apud Sur. Certe etiam Salvator noster cum ad piscinam probaticam Jerosolymis reperisset infirmos, unum præ omnibus, et quidem ultro non rogatus, sanavit, quia solus ille cum esset paralyticus, adeoque membrorum usu destitutus nuper hominem non haberet, qui mitteret eum

in piscinam, salutem sibi quærere non potuit: alii vero poterant. Joan. V. Hujusmodi vero paralytici sunt purgantes animæ, qui nisi ope viventium inferantur in cælum, expectare cogentur terminum, quo justitiæ divinæ satisfaciant ad ultimum quadrantem.

II. Suadet eorumdem calamitas, quæ duplici tormento miserandum in modum eos affligit, pœna scilicet damni, et pœna sensus. Illa excludit ad tempus hæredes a possessione regni deliciosi, sibi jam adjudicati, paratique, Dei Patris sui amantissimi conspectu, beatorum omnium suavissimo consortio, jucundissimoque cœli spectaculo, et continet in tenebris. Hæc vero affligit gravissime, plusquam martyrum omnium tormentis, si D. Augustino, trac. IV. de vera et falsa pœnit. D. Gregorio in III. Psalm. pœnit et recentioribus aliis fidem damus. Equidem juxta patres plerosque pœnam ignis sentiunt, non distincti specie ab igne tartareo; qui agit non virtute naturali, sed ut instrumentum Dei, supra vires naturæ. Flagellum eo sævius ferit, quo a fortiori manu infligitur, sicuti flagellum e funiculis compositum, quo ejecit a templo Christus tot vendentes et ementes: asinæ mandibula, qua percussit prostravitque Samson mille Philisthæos. Quantum igitur in miseris illos deserviet ignis a Dei manu accensus? Hinc orabat Job, cap. XIII. *Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar: manum tuam longe fac a me, et formido tua non meterreat.* Priori postulato pœnam sensus, posteriori pœnam damni videtur deprecari. Quæ enim major formido excogitari, quam a Dei conspectu excludi, et in tenebras compelli? Certe Absalon, quando ab aula patris in exilium ejectus fuit, adeo grave et ærumnosum erat arceri a conspectu patris, ut mori præoptaret, et a patre interfici, II. Reg. XIV. Quid erit animabus purgantibus, cœlestis regni hæredibus prohiberi a conspectu Dei: in quo continetur omne bonum? Certe D. Thomas, in. IV. sent. d. XXXV. quæst. 1. art. 11. hanc pœnam putat esse maximam, nec immerito; quia animæ a corporis mole expeditæ longe exactius apprehendunt carere summo bono et hæreditate ejus sibi jam parata; quam nos, qui carni immersi obscure id intelligimus, et occupati sensualibus delectationibus, nullo modo desideramus. » Sed dicet aliquis ait S. August. serm. XLI. de sanctis, non pertinet ad me, quam diu moras habeam (in purgatorio) si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille ignis purgatorius durior est, quam aliquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. Et cum de die judicii scriptum sit, quod